

Israel Joseph Meyer

Specimen Medicum Inaugurale De Salicis Fragilis Usu Medico

Buetzovii: Typis Johann. Gotth. Fritzii, MDCCLXX.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn885677633>

Druck Freier  Zugang



Universität Bützow
Med. Fak. 1770
Meyer, Israel Joseph

Bützow 018

Q. D. B. V.

SPECIMEN MEDICUM INAUGURALE

DE

SALICIS FRAGILIS
USU MEDICO,

QUOD

EX DECRETO GRATIOSÆ FACULTATIS
MEDICÆ

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA BUETZOVIENSI

PRO SUMMIS

IN ARTE MEDICA HONORIBUS ET
JURIBUS DOCTORALIBUS

OBTINENDIS

ANNO MDCCLXX. MENS. JUL.

EDIDIT

ISRAEL JOSEPH MEYER,

SVERINENS.



BUETZOVII

TYPIS JOHANN. GOTTH. FRITZII, SEREN. PRINC. AUL.
ET ACADEM. TYPOGR. C1819CCLXX.

R. U. Butzow (med) 1770

1808
BREMEN MEDICAL INSTITUTE

SAALICIS FRAGILIS
USU MEDICO

EX DECRETO GRATIAE FACULTATIS
MEDICAE

ACADEMIAE IMPERIALIS BUREAUENSIS

PRO SUMMIS
IN ARTE MEDICA HONORIBUS ET
HABILIBUS DOCTORALIBUS

ISRAEL JOSEPH MEYER

DOCTOR
ET ACADEMICUS



PROOEMIUM.



Ea inhæret hominibus permul-
tis indoles, vel, ut ita dicam,
pruritus, ut novitatis specie
delectentur, rejectis subinde
quotidianis, pro obsoletis perperam habi-
tis. In arte Medica hoc vitium pas-
sim depre-
hendi, experientia dudum docuit; ut inanes

A 2

specu-

speculationes, atque ingenii luxuriantis foetus
silentio præteream, in praxi clinica nil magis
familiare cernimus, quam conatus Medico-
rum, remediis novis undecunque corraſis,
imprimis exoticis materiam ſic dictam medi-
cam ditandi & cumulandi, de quibus fuſius
egit D. SCHEFFELIUS in Diſputatione de
Exoticomania, Gryphiswaldiæ a. 1733. habita.
Jam antiquiſſimis temporibus hunc morem
invaluiſſe, ex lege Neronis eluceſcit, qua Im-
perator hic edixit, ut ea duntaxat Medicamen-
ta in uſum trahantur, quæ noſter orbis gignit,
quandoquidem noſtræ naturæ magis conve-
niant, & recentiora transmarina majori cum
periculo, difficultate ac ſumtu haberi & as-
ſumi poſſint, vid. HOFFMANNI *Clav. Phar-*
macev-

maceutic. Schræderi C. XIV. p. 26. Absit, ut omnia medicamenta a peregrinis oris ad nos advecta ex penu pharmaceutica proscribenda velim, prostant etenim nonnulla, quibus ars medica absque incommodo carere nequam potest; non possum tamen, quin, experientia teste, hic moneam, missis sterilibus & superfluis, varia huic referri posse, quorum vices indigena, quoad effectum salutarem omni jure explere possunt. Exemplum sit Cortex Peruvianus, China Chinæ dictus, cujus virtutes polychrestas ad hyperbolem usque decantarunt Medici celeberrimi, nec negandum, hoc remedium exoticum variis aliis consimilibus palmam præripere posse; si dicendum tamen quod res est, non eo usque extendi posse ejus adtributa crediderim, quasi in debellandis certis morbis, & imprimis in febris intermittentibus, nullum prodest remedii

A 3

genus,

genus, quod huic parili cum effectu surroga-
ri possit. Ut flores chamomillæ vulgaris, ra-
dicem gentianæ, corticem fraxini, quem mul-
ti exinde Chinam Europæorum appellitarunt,
Crocum martis aperitivum Stahlî, aliaque
hujus generis plura silentio præteream, unum
hac vice in medium producere licebit, *Salicem*
scilicet *fragilem*, cujus virtutes eximias antife-
briles, & modo recensitis præstantiores multi-
plici experientia deprehendi, ut Specimen Dis-
sertationis Inauguralis editurus, de hac arbore
paucula differere in animum induxerim. Jam
superiori anno celeb. Professor HARTMAN-
NUS Trajecti ad Viadrum in Disputatione de
Salice laurea odorata Linnæi pentandra, quæ huc
referri potuerunt, erudite est persecutus. Li-
cebit tamen Spicilegii loco, eodem incedere
tramite, & de huic non absimili Salice obser-
vata specialiora addere. Faxit Deus feliciter!

TRA-



TRACTATIO.

§. 1.

Salicem arborem esse ubique fere, præsertim in regionibus nostris borealibus reperibilem, recensione haud indigere arbitror, quia a ruricolis, ob multiplicem usum, quem rami ejus & frondes subministrant, copiosissime plantatur & in locis, imprimis humidioribus læte excrefcit.

§. 2.

Præmonendum tamen, varias deprehendi species, ratione foliorum, corticum & ligni ab invicem diversas, ex quo est, quod Botanici vel historiæ naturalis Scriptores in numerandis eisdem neutiq̃am conveniant, donec Cel. HALLERUS in *Enumeratone Plantarum Hortæ*

Horti Regii & agri Göttingensis p. 8. & 9. Salicum novem species numerando, demonstravit, folia ejusdem speciei non nisi temporis tractu diversum exhibere adspectum.

§. 3.

Hoc autem habent Salices in genere considerata cum aliis arboribus commune, ut ratione sexus ab invicem differant, quarum notas distinctivas LINNÆUS in *Tractatu de Generibus Plantarum* p. 447. adtulit, & licet hermaphroditicas Salices floribus hermaphroditicis diandris instructas admittat, recte tamen, experientia teste, inter figmenta collocat, Salicis individua mutare sexum, & altero anno masculos, alteroque femineos flores producere.

§. 4.

Missa hac sexus Salicum diversitate, a qua nulla in praxi medica expectanda utilitas, singulas in eo convenire videntur, ut sapore austero-amaro plus minus forti linguam feriant, juncto subinde odore grato balsamico. Jam laudatus HARTMANNUS in *Disputatione* allegata, §. 7. odorem hunc fragrantem florum amentis omnium specierum masculis potissimum tribuit, reliquis partibus vix aut non odoratis, quibus saltem addere licebit, in amentis his exsiccatis, & diu adservatis odorem talem specificum vix ac ne vix quidem deprehendi posse, ex quibus elucescit, recentes Salicis partes annosioribus admodum esse præferendas
lau-



laudatus etenim hic Vir, præeunte GLEDITSCHIO, utpote qui in explorandis Salicibus in Marchia sponte nascentibus viginti abhinc annis solertissimus exstitit, folia juniora cum ramusculis novellis nonnihil odorata, & insigni amaritie imbuta esse, folia vero & cortices triennium & crasiorum saporem valde adstringentem exserere tantum non semper observavit.

§. 5.

Ex diversa hac qualitate Salicum sua sponte liquet, non omnes earundem species, nec folia vel cortices indistincte & promiscue in usus medicos recipi posse, sed delectum a Medico habendum esse, ne loco sperati effectus salutaris, inexpectata ab eisdem nascantur symptomata. Ex reliquis proinde eligenda vel *Salix laurea odorata*, quæ secundum LINNÆUM, HALLERUM & GMELIN, foliis glabris ferratis ovato lanceolatis, flosculis pentandris vel sexandris instructa est, vel *Salix fragilis* foliis longis & magis latis splendidibus coruscans, quam nostrates, quia rami ejus levi negotio frangi possunt, ut plurimum *Bruchweide* appellitare solent. Priorem speciem laudatus HARTMANNUS posteriori præferre videtur, quia odore balsamico magis volatili grato instructam esse credit, quem odorem Salici fragili inesse negat, eidemque saporem intense amarum tantum concedit. Absit, ut experientiam celeberrimi hujus Viri in dubium vocare audeam, præpollentem equidem illum gratum odorem in priori Salicis specie, at tantam amaritiam in posteriori-

B

sterio-



steriori deprehendere haud licet. Hoc tamen non obstante, gratus detegitur in Salice fragili odor, modo juniores & annui ex eadem recipiantur furculi, utpote in quibus sapor insignis amarus magis, quam in annosioribus detegitur. Lubentissime proinde concesserim, si copia Salicis laureæ haberi possit, hujus cortices Salici fragili præferendos esse. At enim vero, quando non ubique occurrit, nec tantum eos inter discrimen intercedit, ultimam non sine insigni itidem efficacia adhiberi posse nullus dubito, quæ ab aliis Salicibus, foliis ferratis longis latisque splendentibus ovato lanceolatis, petiolis dentato glandulosis se distingvit. Vid. LINNÆI *Spec. Plantar.* 1443.

§. 6.

Cortices hi Examini chemico subjecti, ex unciis duabus tenerioribus recentibus cum aqua destillatis, prolectæ circiter uncia octo medium tenent, ratione odoris, inter aquam cerasorum & rosarum temperatam. Ex unciis duabus corticum teneriorum & viridum, debita encheiresi impetravi Extracti aquosi primi Drachmas quinque & semis, spirituosi secundi Drachmam unam; versa vice autem, eadem corticum quantitas suppeditavit Extracti spirituosi primi Drachmas tres, aquosi secundi Drachmas tres & semis. (*) Bina hæc

(*) Quantitas horum Extractorum admodum differt a quantitate a D. HARTMANNO allata, crediderim autem, analysin hanc cum corticibus exsiccatis esse institutam, quan-

hæc extracta sapore amaro adstringente corticis Peruviani Extractis haud adeo dissimiles inveni. A corticibus ramorum annosiorum, sed viridum, eadem propemodo producta deprehendi quidem, sed adstringente sapore extracta juniorum admodum superantia. Ex Unciis quinque foliorum Salicis flaccescentium per se ex arena destillatorum obtinui Drachmas quinque & semis olei butyrosi empyreumatici, & uncias duas phlegmatis acidiusculi. Verum ab hoc examine ignis tortura instituto, quia cum destructione partium constitutarum conjunctum, nullum expectandum esse in praxi medica usum specialem, cum NEUMANNO docent Medici hodierni tantum non omnes.

§. 7.

Plura cum cortice & foliis Salicis instituta experimenta brevitatis ergo in medium proferre supervacaneum duco, quando in laudata Disputatione D. HARTMANNI abunde & omni dexteritate descripta deprehenduntur, ad quæ B. L. volo ablegatum. Sufficit ex modo allatis, inesse corticibus his & foliis, præter terrestres subtiliores particulas, substantiam gummoso-resinosam cum amaritie adstringentem, quam certo respectu balsamicam plus minus volatilem dixeris, a qua effectus, quem in corpore humano exserit, potissimum derivandus.

B 2

§. 8.

do recentes, modo ab arboribus desumpti a me in usum vocati, adcedit, quod fortassis Extracta ad solidiorem, quam a me consistentiam reducta sint.



§. 8.

Jam ab antiquissimis temporibus usum tam corticum teneriorum quam foliorum Salicis penes Medicos, aliosque, familiarem fuisse ex monumentis horundem edocemur. Adtributa vis refrigerans & adstrictoria eos commovit, ut sanguinis impetum & fervorem eisdem temperare & compescere fuerint annisi; crediderunt siquidem, folia vel semen ex vino propinatum omnem nequitiam veneream tollere, imo sterilitatem inducere posse. In hæmorrhagiis narium vel uteri, mictu cruento succum expressum, vel folia recens contusa, tam externe, quam interne quandoque cum fructu adhibuerunt, quinimo superstitione imbuti virgulis salicis fascinationes vinci, & humi constrictis futura indicari posse crediderunt, ut alia hujus commatis plura silentio præteream, de quibus fusius egit *Bartholom. ZORN* in *Botanologia Medica* p. 594. *Job. BOECKLER* *Cynosura Materia Medica* P. I. C. V. p. 589. *Sim. PAULLI* *Quadrupartit. Botan.* Class. II. p. 138. aliique plures.

§. 9.

Licebit tamen de falice differenti quaedam, quae ad historiam eius pertinere videntur, ex antiquitate hebraica praelibasse. Salices dicuntur apud Ebraeos ערבים *Aravim* *Leuit.* 23, 40. *Psal.* 137, 2. *Esfai.* 44, 4. Meminit earum *Job.* 40, 17. circumdant eum (hipopotamum) falices torrentis i. e. Nili, quae scilicet ad Nili ripas crescunt. De qua torrentis falice *Rambam* in *Jad, massechet Succah* cap. 7. §. 3. fol. 262, 1. haec scri-

זרוב מין זה גדל על הנחלים לכך נאמר ערבי נחל
 Plerumque species haec crescit ad torrentes, ideoque
 salix torrentis dicitur. Eam ita quoque l. c. describit:
 מין ידוע הוא הנקרא ערבי נחל עלה שלו משוך כנחל
 ופיו וחלק וקנה שלו ארום וזה הוא הנקרא ערבי נחל
 i. e. est species certa (salicis), quae salix torrentis ap-
 pellatur, folium habet oblongum, fluvii instar protra-
 ctum. Os eius glabrum & caudex ruber. Haec est,
 quam nostri salicem torrentis vocant.

Vide ibi plura de salicum speciebus, earumque
 vsu in festo tabernaculorum.

Huc quoque spectat illud Davidis Psalm. 137, 2.
 effatum: ערבים על נהרות בבל salices ad flumina Baby-
 loniae, seu ad varios Euphratis alveos. Vnde Esai. 15, 7.
 Babylonia ob salicum multitudinem vocatur נחל ערבים
 teste Herodoto lib. I. Babylonii salices ad construenda
 sua navigia adhibuere. Eiusmodi salix Babylonica a
 Viro illustri Linnaeo in horto Clifford. p. 454. hunc in
 modum describitur: arbor ramis teretibus, longissi-
 mis flexilibus, laxis, deorsum arcuatis. Folia alterna,
 digito longiora, angusto-lanceolata, vtrinque glabra,
 acute ferrata, petiolis leuibus infidentia.

Salices Judaeae ad ripam Jordanis crescere testis
 est Relandus, de Palaestina lib. I. pag. 202. edit. Nürnberg.
 1716. 4.

Inter omnes autem maxime consulendus est Olauus
 Celsius in hierobotanico, Vpsal 1745. 8. Parte I. pag.
 304-308, vbi loca, veterum tam graecorum quam la-



tinorum, in quibus de falicibus mentio iniicitur, cum epicrifi doctissima studiose collegit.

A scopo meo non alienum videtur, si synonyma, quibus falices in Talmude veniunt, hic coronidis loco addiderim. Sunt autem sequentia.

1, אידן Idan græcis ἰδία dicta tractatu Schabbas cap. 2. ab initio: ולא פתילה האידן neque cum ellychnio falicis lychni sabbathis sunt accendendi. Schabbas fol. 20, 1. אהוונא glossa exponit per ערבה falicem. baba bafra fol. 6, 1. Metzia fol. 42, 1. אותבינהו בצריפא דאורכני collocavit eos in tugurium falicum.

2, בינא Gittin fol. 68, 2. glossa exponit per ערבה.

3, חילפא Schabbas fol. 77, 2. glossa explicat per ערבה. Ita audit Succa fol. 34, 1. חילפא גילא כשרה להושענה Salix Gilla (i. e. populus alba Pappelweiden) recta est ad fasciculum Holchaina.

4, נצרים virgulta falicum decorticata, vimina ex quibus fiunt corbes של נצרים של ערבה i. e. corbes viminei ex falicibus. Item Avoda sara fol. 75. עקלין של חבל של נצרים quod idem est. Et Eruvin fol. 58, 1. חבל של נצרים funis vimineus.

5, צפצפה falicis species vilis. Ira Succa fol. 34, 1. haec vox Ezech. 17, 5. occurrens explicatus.

Ex iis, quae iamiam in medium protuli, non obscurum fit, falicum vsum apud Ebraeos amplissimum fuisse, adeo vt in illarum honorem festum adornaerint, quod dixerunt חג ערבה festum falicis, qui est dies 8. festi tabernaculorum.

Unde

Unde Davides Psalmo I, iustum cum salice plantata ad riuos aquis abundantes comparans, non modo naturam salicis ripas amantis, sed etiam vsum eius oeconomicum, iure quidem suo, eoque optimo delineat. Num autem veteres Ebraei vsum eius medicum perspexerint, tacentibus eorum monumentis, non adeo clarum fit atque perspicuum, licet absonum non sit statuere, quod salicem aequae ac alios arbores & herbas ad medicamentorum suorum praeparationem adhibuerint. Quo certo euenit, vt nomen suum laudesque Orientales ciuitate sua donauerint.

§. 10.

Hisce praemisissis, pedem promoveo ad usum *Salicis fragilis*, quem in arte Medica admodum salutarem, & experientia multiplici corroboratum mecum deprehenderunt Medici, quos Praeceptores meos veneror. Jam §. 9. indigitatum, partes constitutivas corticum huius arboris, analysi chemica detectas admodum convenire cum partibus constitutivis corticis Peruviani, proinde ergo huic commode substitui posse, idque vel eo magis, quoniam cortex Peruvianus multis fraudibus & adulterationibus subjectus esse solet, a quibus varia damna subinde derivanda, nisi a circumspecto Medico detegantur; adcedit, quod maxima cortices Chinæ inter, & Salicis, ratione pretii, intercedat differentia, hinc pauperibus ægrotis magno existat solatio. Jam lippis & tonsoribus notum, inter proprietates corticis Peruviano adtributas praecipue collocandam esse virtutem

tem antifebrilem, certo respectu specificam, quam imprimis in febribus intermittentibus compescendis exferere solet, & quæ a virtute tonica vel adstringente specifica derivanda. Ex parili qualitate corticis Salicis rite præparati febres intermittentes domantur. Sub forma pulveris debita cum circumspeditione exsiccati, ne partes activæ avolent, & sola vis adstrictoria & terrestris restitet, horis intercalaribus exhibiti cessant pari cum successu paroxysmi febriles, modo dosis major præscribatur, & ad Drachmam unam, & ultra quandoque, repetitis vicibus adscendat. Sunt, qui præfertim in febribus quartanis quartam vel quintam corticis Chinæ partem, tanquam adjuvans, non sine effectu admiscunt, quando solus in refractario hoc morbo languidioris effectus esse videtur, nec adeo improbabile, famosum illum pulverem antifebrilem D. du CLOS in febribus quartanis imprimis commendatum ex pulvere corticis Chinæ, Salicis cortice mixto maximam partem constare. Eundem effectum exserit infusum hujus corticis vinosum, simili modo parandum, quo infusum corticis Chinæ vinosum a Medicis concinnatur, modo itidem quantitas hujus corticis paullo major recipiatur. Infusum aquosum vel potius decoctum in diplomate parandum omnis virtutis expertus non est, videtur tamen, imprimis in individuis robustioribus esse languidius, hinc jure præferendum Extractum aquosum, vel magis, cum vino parandum, quo substantia resinoso-balsamica maneat admixta. Hoc sub forma pillularum ad Scrupulum unum vel Drachmam semis

femis pro dosi, ter quaterve, ante adcessum paroxysmi febrilis exhibendum, vel in debita proportione cum aqua simplici vel alia appropriata solutum cochleatim ægrotis porrigendum.

§. 11.

Vel me tacente constat, purgandas prius esse primas vias a contentis quavisquiliis, quam hoc antifebrile in usum trahitur, eadem ratione, quæ Medici experti laxans cortici Chinæ præmittere solent, alias etenim vel absque effectu, quinimo cum damno ægrotantium hoc remedium adhibetur, vel recidivæ facile metuendæ, verbo: medendi methodus eadem sit, quæ circa corticem chinæ observatur. Nec adeo improbabile, sub febribus lentis ad tonum fibrarum roborandum corticem Salicis cum cortice Chinæ pari passu ambulare.

§. 12.

Non tantum autem sub febribus intermittentibus, quinimo remittentibus nonnullis, efficax deprehenditur hic Cortex, sed & in aliis morbis intentioni Medici satisfacere videtur. Memini fluorem album benignum, præmisso, ob cruditatem ægrotæ nidorosam, emetico, a continuato hujus corticis usu tandem peritus sublatum fuisse. Pariter in feminis profluvio involuntario, quod Gonorrhæam simplicem vocant, infusum foliorum Salicis hujus Theiforme, incassum adhibitis aliis remediis, insigniter profuisse observavi.

C

Ad

Ad vermes fugandos & enecandos, recentem corticem sub forma Decocti cum melle edulcorati, ter vel quater de die exhibitum utilissimum vidi, juncto in casu necessitatis nonnunquam laxante, mercurio dulci acutato, quando alvus deprehenditur immorigera. Sub defectu ligni Quassia, utpote quod in omnibus officinis, praesertim civitatum minorum nondum proflare cernimus, hicce cortex parili propemodum cum euphoria exhiberi potest, modo dosis ejusdem major propinetur. Aquam ex recentibus corticibus & foliis destillatam ob gratum odorem atque saporem vel solam, vel aliis analepticis aquis admixtam aegrotis propinarunt Medici haud pauci, licet in omnibus officinis haecenus non sit recepta. Essentia ex corticibus vel foliis exsiccatis parata languidioris est effectus, praefendum ergo, si quando aegroto medicamentum guttatim adsumendum arriserit, Elixir ex extracto vinoso parandum. Folia recentia capiti imposita cephalalgiam mitigant, somnumque conciliant; oculis adplicata ardorem horundem compescunt; frondes recentes ad lectum aegroti circumpecti aeris siccum & anxium calorem moderantur, in atrophiam infantum, imo & rachitide folia Salicis recentia vel sola, vel cum radice Levistici decocta, sub forma balneorum egregie conferunt, modo infusus repetantur, & totum corpus sub leni frictione abluatur. In Scabie itidem rebeli cortices, & folia salicis tam interne sub forma decocti usurpata, quam externe in linimenta redacta subinde egregiam opem tulerunt.

§. 13.

§. 13.

Supereffent adhuc varia, virtutes corticis hujus & foliorum fere polychrestas concernentia, at experientia propria adhuc destitutus, solis conjecturis locum dare nolo. Huc referenda quæstio: an sub gangræna & sphacelo a causis internis ortum trahente, usus corticis Salicis hujus, debita quantitate & ratione exhibitæ, parilem efficaciam haud exserat, quam Cortex Peruvianus. Haud quidem de eo dubitaverim, partibus constitutivis a me allatis cum invicem symbolizantibus commotus, verum fortassis, periculum in mora, sub corruptione tali putredinosa, experimenta cum cortice Salicis instituenda prohibere videtur, lubens proinde hanc decisionem aliis committo, & ob temporis exiguitatem, coronidis loco, hocce specimen meum quæcunque verbis sæpe laudati HARTMANNI p. 38. ob signo: *Corticem Salicis recentem atque teneriorem cum foliis junioribus, propter principiorum in mixtione contentorum præstantiam, medicamentis omnino nobilibus tonicis, absterfis, resolventibus, aperitivis, diaphoreticis, diureticis, stomachicis, antifebrilibus, antiputredinosi, anthelminticis, atque vulnerariis annumerari posse; quæ in potioribus morbis locum inveniunt, quæ ob atoniam solidorum, a motu minus debili & tardo, atque inde pendente fluidorum mucosa, & impura spissitudine varia ortum habent. Vitia hujus generis nonnulla sunt v.g. digestionis & appetitus depravationis, affectus flatulenti, torminosi, & verminosi abdominis, febres intermittentes, icterus chronicus, obstructiones viscerum, affectus*

*fectus asthmatici, cachectici & pituitosi, oedemata, vomitus
chronici, lienteria, diarrhaea mucosa, fluor albus, nephritis
mucido sabulosa, defectus mensium, lochiorum & haemorrhoi-
dum, morbi rheumatici frigidi, catarrhales, Scabiosi, Scorbu-
tici, cum ulceribus aliisque, qui cum prioribus unam ean-
demque causam agnoscunt.*

TANTUM.



VIRO JUVENI DOCTISSIMO
PRÆNOBILISSIMO D. CANDIDATO
ISRAEL IOSEPH MEYER

S. P. D.

L. E. HIRSCHEL

MED. DOCT. ET PRACTIC. BEROLIN.

Mea omnino interest, constantis tuæ in me amicitiaæ toto tempore, quo Berolini moratus, nunquam oblivisci, & nihil magis est quod optem, ut docta sinceraque conversatione tua optime Amice! semper frui potuissem. Nutus Vero Patriæ tuæ, te satis scientiis & profectibus in scientia præcipue nostra imbutum revocavit, ut auxilio sis civibus tuis in adversa fortuna. Imaginatio tamen, te etiam absente, futuræ patriæ, generisque humani utilitatis, ex te medico erudito me consolat & delectat. Decorum enim certe eris tam patriæ, parentibus, acade-

miz

miæque Bützovianæ, præcipuæ nostræ nationi, cui Minerva tam diu noverca fuit, & paucò præterlapso tempore, fulgore suo arridere coepit, præter enim magnum illum *Mendelsohn*, *Mendez*, *de Costa*, *de Pinto* nonnulli fautores scientiarum & viri docti inter nos reperiuntur, in quorum numerum tu summo cum Jure adnumerandus es.

Pergas Amice! Via quã coepisti, & non dubito Deum omnipotentissimum tibi prosperam animi corporisque valetudinem largiturum esse, ut indefessi laboris tui, quem in scientiis, tam Bützoviæ, ducibus magnis tuis præceptoribus D. *Dethardingio* & *Schaarschmidio*, quam Berolini, tam in theatro nostro anatomico, quam in privatis philosophicis & medicis summorum virorum prælectionibus per tres annos adhibuisti, laetos fructus colligas. Haud despero, quin auxilia tua, quibus labefactæ ægrorum valetudine succurres, fausta futura sint, felicitasque tibi de prædicari medicus cito, tuto & jucunde curans contingat. Super est adhuc mihi, tuæ summis honoribus, Candidate dignissime

mox

mox impetrandis, Patriæ, parentibus totique nostræ gēti gratulandum, nec minus scientiæ ipsi medicæ, ad quam amplificandam natus es, quod ex tua dissertatione utilissima satis elucet. Vivas, valeasque Amice! diu felix incolumisque, & non desinas etiam in absentia amicitæ nostræ memor esse, habeasque me semper talem amicum, ut ego, quamdiu Deus vitam meam conservaret, tibi ero

Dabam e Museo meo, Berolini nonis Juni 1770.



mox impetrandis, Patriæ, parentibus totiquè nostræ gen-
tulandum, nec minus scientiæ ipsi medicæ, ad quam ampli-
dam natus es, quod ex tua dissertatione utilissima fatis e-
Vivas, valeasque Amice! diu felix incolumisque, & non
nas etiam in absentia amicitæ nostræ memor esse, habe-
me semper talem amicum, ut ego, quamdiu Deus vitam
conservaret, tibi ero

Dabam e Museo meo, Berolini nonis Juni 1770.

